

Thomas Lindemann    Bernhard Lüdekingk

## **Conclusiones subsequentes Ex Iure Civili Canonico, Et Feudali desumptas**

Rostochi[i]: Pedanus, 1630

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn726766801>**

Druck    Freier  Zugang



Schlüssel aus dem ersten Kassenbuch  
und Freidolrecht

Lindemann-Latexingh.

Art. 16

1630.



*M. 28*

DEO Opt. Max. Auspice  
Conclusiones subsequentes 7  
EX JURE CIVILI CANONICO,  
ET FEUDALI  
desumptas,

*Authoritate & decreto*

Nobiliss. & Ampliss. JCrorum Ordinis cele-  
berrimæ Academix Rostochiensis

P R E S I D E

*Amplissimo, Spectabili & Consultissimo Viro*

DN. THOMA LINDEMANNO,  
JCrto eximio, inclytæ Facultatis Juridicæ DE-  
CANO & Antecessore celeberrimo, Præceptore ac  
Fautore suo unicè suspiciendo,

*Pro summis in UTROQ. JURE honoribus  
& privilegijs Doctoralibus conse-  
quendis,*

Publicè discutiendas proponit  
BERNHARDUS Ruderingf  
Lemgovienfis Westph.

*Ad diem 16. Aprilis horis locoq̄ solitis.*

---

ROSTOCHI  
Litteris Ioachimi Pedani, Acad. Typ.  
ANNO M. DC. XXX.





## CONCLUSIO I.

**I**ustitia, quæ ex omnium confelsio-  
ne Jurisprudentiæ finis est, & definitur ab  
*Ulp. in l. 10. de Inst. & Iur. & in prin. Inst.*  
*cod. non, ut Hocom. ad d. prin. Vult. ibid. n.*  
*5. & alij putant, divina intelligitur; nec*  
universalis, ut *vult Wesenb. ad d. prin. Hillig, ad Donell. 2.*  
*Comm. 1. lit. G.* sed humana, & particularis, quæ in  
præmiorum & pœnarum distributione ac irrogatione,  
item in rerum commutatione, & pactorum servando-  
rum bonâ fide occupata est.

### II.

Non plura, nec pauciora quàm tria juris præcepta  
cum *Ulp. in d. l. 10. & Imp. in §. 3. Inst. de Inst. & Iur.* agnos-  
cimus. A quibus licet Usuræ, Circumventiones in con-  
tractibus, Usucapiones, Concubinatus, & ejusmodi alia  
non parum videantur deflectere, minimè tamen jus no-  
strum à scopo honestatis quandoq; aberrare dicemus  
cum *Anth. Matth. in not. ad d. §.*

### III.

Defensio, si simplicem declinationem nociturorum  
sive nudum violentiæ propulsandæ factum consideres,  
est juris naturalis, de quo *vid. l. 1. §. cum arietes. 11. ff. de*  
*quadr. paup. feciss. dic.* Quatenus verò defensio fit cum  
modo, ita ut honestati & Justitiæ conveniat, omniq; cul-  
pa vacet, rectè contra *Donell. jûris gentium eam esse Dd.*  
*statuunt per l. ut vim. 3. de Inst. & Iur.*

A 2.

Quem

## IV.

Quem modum omninò excessisse dicimus eum, qui ab aliquo insultatus commodè & citra periculum fugere potuit, & non fugit, sed resistendo adversarium occidere maluit, *per text. in l. Scientem. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. junct. §. 1. Inst. eod. Dissent. Zoannett. tract. de defens. tripart. part. 2. n. 23. & seq. Salicet. ad l. 1. n. 1. C. unde vi & Dd. communiter teste Jason. ad l. 3. ff. de JusC. & Jur. n. 38. tum quòd generaliter scriptum sit, vim vi, arma armis repellenda esse d. l. 3. & d. l. 1. C. unde vi tum quòd valde periculosum, imò ignominiosum sit fugere & instar leporis salutem pedibus committere arg. l. Filius, 15. ff. de Condit. instir. l. Nepos, 125. in fin. ff. de V. S. Alij, inter quos Bart in d. l. 3. n. 10. de Just. & Jur. distinguunt inter nationes honoratas, infames ac fugaces.*

## V.

Impuberi arrogato injustè emancipato, vel exheredato ex Constitutione Divi Pij debetur quarta l. Papinianus. 8. §. 15. ff. de inoff. test, §. Cum autem. 3. vers. Item non aliter. Inst. de adopt. non quidem portionis legitimæ tantum, ut putat Bachov. in Not. ad Treutl. vol. 1. Diss. 2. th. 9. lit. E. sed omnium bonorum *per text. express. in l. fin. ff. Si quid in fraud. patron. & l. 2. ibi: bonorum tuorum, quarta pars. C. de adopt.* Licet enim & quarta portionis ab intestato debita quarta bonorum dicatur in l. 6. C. de inoff. test. hoc tñ. verū est in sensu compositivo, non verò diviso, ita ut quarta plurium liberorum indivisa quarta bonorum dicatur in d. l. 6. non etiam quæ jam inter eos pro rata divisa est, quæ rectius quarta portionis dicitur.

Iudi:

VI.

Judicem veritatem contra fidem actorum exactissime notam habentem, etiam in foro poli excusatum esse, si secundū acta & probata eum, quē scit innocentem, condemnet, tradit *Cyn. ad l. 1. in fin. C. ut quæ defunt advoc. part. Iudex suppl.* Alij meticulosi diversa consilia, Iudici hoc in casu sequenda, subministrant, quod vel personā Iudicis deponat, & testes assumat, ut *Horom. illust. quæst. 27. & Bachov. in not. ad Treutl. vol. 1. Diss. 12. rh. 14.* vel ad superiorem rem deferat, ut is alium sibi substituatur, vel ipsemet causam dijudicandam suscipiat ut *Thom. part. 2. quæst. 64. art. 6.* vel juret, sibi non liquere post. *A. Gell. 14. Not. Attric.* Nos veram & saniozem putamus esse sententiam, quæ iudicem posthabitis actis & probatis secundum conscientiam iudicare suadet.

VII.

Ad difficilissimam *l. Periculi pretium. 3. ff. de navt. fœn.* principe loco quæri solet, quale scilicet genus contractus in speciebus facti eā *l. propositis* sit celebratum? *Cujac. Horom. Duaren. Donell. & alij* putant hîc agi de contractu mutui, & fœnore quasi nautico. Verùm *Molinæus* e contrario statuit hîc celebratum esse contractum, in-nominatum Do ut des, & quidem non purum, sed conditionatum, ut scilicet existente conditione nihil des, non existente plus *V. G. sesquiduo, tria, vel quotcunq̄* convenit. Et hanc sententiā veriozem esse vel inde saltē demonstrabimus, quòd scilicet hic non agatur, ut tantundem reddatur; sed ut vel nihil reddatur, vel plus, quod jus & causam pecuniæ creditæ excedit ut *in simili loquitur African. in l. 24. in fin. de præscript. verb. fac. l. 17. in prin. ff. de pact. l. 11. §. 1. ff. de reb. cred.*

VIII.

Ex re aliena bonæ fidei possessor perceptione o-



omnes fructus indistinctè suos facit l. 48. de A. R. D. l. 28. ff. de usur. non industriales tantùm, uti post. Accurs. Donell. & alios putat Umm. disput. ad process. 21. th. 3. n. 21. sed etiã naturales. Non tamen simpliciter, sed incertim saltem l. 48. in prin. ff. de A. R. D. & revocabiliter l. 22. C. de R. V. ita ut malà fide superveniente, & re evictà verus dominus omnes hosce fructus extantes vindicare possit arg. §. 63. Inst. de Rer. divis. d. l. 22. C. de Rei vind. Dissent. post Donell. & alios Umm. d. loc. statuens industriales fructus extantes bonæ fidei possessorem irrevocabiliter suos facere.

### IX.

De fructibus verò ante litem contestatam consumptis bonæ fidei possessorem indistinctè non teneri æquitas suadet, cùm eo tempore, quo & percepti & consumpti sunt, jus illud bonæ fidei possessoris adhuc in integro fuerit. Fac. text. general. in l. 4. §. 2. fin. regund. d. l. 22. C. de R. V. l. Quæsitum 40. de A. R. D. l. 41. §. 1. de re Iudic. §. 2. & 3. Inst. de offic. jud. Idè in tantum verum esse putamus, ut ne quidem bonæ fidei possessor de fructibus consumptis teneatur in quantum ex ijs locupletior factus est, per textus generales supra citatos. Diss. Cujac. 7. ad African. in d. l. 40. de A. R. D. putans fructus industriales consumptos tantùm fieri bonæ fidei possessoris, non etiam naturales. Quod veram quidem putamus in iudicio universali petitionis hereditatis l. 25. §. 11. de petit. hered. l. 1. C. eod. non etiam in iudicio singulari vindicationis.

### X.

Perfectà emtione-venditione venditore m, si facultatem rei tradendæ habeat, præcisè ad rem tradendum tene-

teneri, nec præstando interesse liberali defendemus cum  
*Cujac. ad Paul. 1. sent. 13. & ad l. 72. de V. O. Anton. Fab. 6.*  
*Conject. 17. VVesenbec. in parat. de Act. Empt. n. 4. contra*  
*Vaud. 1. quæst. 9. Covarr. 2. var. resol. 19. n. 1. Gædd. de con-*  
*trah. ffip. c. 9. conclus. 4. n. 65.*

### XI.

Nominibus olim obligatio contrahi dicebatur,  
cum in argentarij, alteriusve Creditoris tabulis scriptum  
erat, aliquem certam pecuniæ summam debere *vir. Inst.*  
*de Liter. oblig.* Quâ tamen nominum obligatione subla-  
tâ tribus tantum modis obligatio cõtrahebatur, re, ver-  
bis & consensu *l. 1. §. 1. in princ. de O. & A. l. 1. in fin. ff.*  
*de pact. l. Gracè. 8. §. 1. ff. de fidejuss. l. 1. §. 1. de Novat. donec*  
tandem exceptio non muneratæ pecuniæ. Constitutio-  
nibus Imp. primò ad quinquennium, deinde ad bienni-  
um restringeretur, Simulq; constitueretur, cum qui chi-  
rographo dato pecuniam se accepisse confessus, nec  
intra illud tempus de non numerata pecunia sive exci-  
piendo, sive denunciando, *secund. l. si intra. 8. & l. con-*  
*tractibus. 14. in fin. C. de non num. pec. conquestus erat,* ad  
pecuniam illam exsolvendam obligari. Idq; ex præ-  
sumptione juris, quòd seil. dum debitor intra legitimum  
tempus querimoniâ istâ usus non fuit, præsumatur pe-  
cuniam à Creditore numeratam esse. Quæ tamen præ-  
sumptio, quam lapsus ille biennij inducit, cum non sit  
juris & de jure, sed juris tantum, omninò æquum esse  
putamus, debitorem, si numerationem factam non esse  
probare possit & velit, etiam post biennium audiendum  
esse, *arg. l. 10. C. de non num. pec. Dissent. post. Duaren. Do-*  
*nell. & alios novissimè Riemer decad. 10. q. 8. Frantz. Exer-*  
*citas. 10. q. 16.*

Neq̄

## XII.

Negotiorum gestorem regulariter & ex natura quasi contractus de levissimâ culpa non teneri contra *Vult.* & alios rectè tutatus est celeberrimus quondam Academia Giessensis Antecessor *Gothofred. Antonij Disspur. Anti-Vult. 4. ex §. 1. in fin. Inst. de oblig. qua quasi ex contr.* Ubi quidem Imp. exactissimam diligentiam exigit à negotiorum gestore, nec sufficere dicit talem diligentiam, qualem suis rebus adhibere solet. Adjectâ tamen hac expressâ conditione: Si modò alius diligentior eò commodiùs administraturus esset negotia. Unde sanè consequens est, negotiorum gestorem regulariter de levissima culpa non teneri, sed tum demum, quando alium diligentiore absentis negotia gerendo anteverit, qui eò commodiùs negotia administraturus fuisset, h. e. qui & potuisset, & voluisset ea commodiùs administrare, nisi ipsius intuitu ab instituto revocatus fuisset, *Add. l. si pupilli cui 6. §. ult. ff. de negot. gest.*

## XIII.

Mulier ad dotem suam repetendam ante Justinian. saltem habebat privilegium Personale, actionem nimirum ex stipulatu §. fuerat. 29. *Inst. de act.* nullam verò hypothecam, nisi quam propriâ conventionem sibi acquisivisset, ut in l. 2. *C. de privileg. fise.* Justinianus verò dedit ejus initiò quidem hypothecam tacitam d. §. 29. & l. ubi 29. *C. de Jur. dot.* postmodum verò etiam jus prælationis contra omnes mariti creditores hypothecarios non tantum tacitam hypothecam habentes, ut putant *Donell. Covarruv. & alij.* Sed etiam expressam. l. *Assiduis. 12. C. qui por. in pign. Vid Myns. 4, Obs. 13.*

Acro

XIV.

Atrocissimum meritò habetur crimen assassini, p̄  
 quod insidiosè & proditoricè quis trucidatur ab eo, à quo  
 nihil tale metuit, *de quo text. in c. 1. de homicid. in 6.* Cujus  
 delicti atrocitas inde augetur, quod pecuniæ interventu  
 & propter pretium suscipiatur, id quòd longè turpissi-  
 mum est, ob dolum manifestissimum, quem nulla, ne  
 quidem fatua causa hoc casu excusare potest, ita ut si  
 homicidium ad alterius mandatum subsecutum fue-  
 rit, tam mandans, qui assassinator, quam mandatarius,  
 qui assassinus dicitur, p̄næ L. Cornel. subjaceat, *arg.*  
*L. Nihilinteres. ff. ad L. Cornel. de Sic. fac. l. Is damnum*  
*169. in prin. l. Ad ea. 157. in prin. de R. I. l. 1. §. Dejecisse. 12. de*  
*vi & vi arm.* Sed quid, si assassinator mandet assassino,  
 Titium vulnerari saltem, non verò occidi, an subsecuto  
 homicidio L. Cornel. p̄na etiam in assassinatore lo-  
 cum habeat, olim inter Scribentes controversum fuisse  
 dicit, *Clar. in §. ult. quest. 89. n. 1. de quâ nec hodiè inter*  
*Magistros nostros convenire testatur, Farinac. de Con-*  
*sult. & mandat. q. 135. n. 168. & seqq.* Nos assassinatore  
 etiam de homicidio subsecuto teneri omninò putamus.  
*Vid. Farinac. d. q. n. 168. & seq.*

XV.

Wesemb. *in parat. n. 8. de Rit. Nupt.* multis disputat  
 de errore circa virginitatem, an scil. is matrimonium  
 vitiet, ut si quis vitiatam ab alio ignoranter duxerit, eam  
 vicissim dimittere & repellere possit? Nos missis illis,  
 quæ Wesemb. & alij in utramq; partem hîc acervatim  
 cumulant, duos hosce casus probè distinguendos pu-  
 tamus. Aut enim quaritur, an matrimonium hoc sta-  
 tim ab initio sit nullum; an vero consistat quidem, sed

B

tamen

tamen ex post facto rescindi, & inventa vitiata dimitti possit? Illud negamus, & dicimus, ab initio quidem matrimonium hoc consistere, maritum tamen, si reconciliatione prius tentatâ delicti ac injuriæ gratiam facere nolit, ex hac causa matrimonium officio magistratus rescindi petere posse. Perpetua namq; suspicio est, semel malam imposterum sui similem futuram; cum rarò meretrices ad bonam frugem redeant. Vide *Novell. Leon. 93. Add. Kitzel. Synops. matrim. c. 4. theor. 19. Nebelkrâ lib. 1. decis. 15. per tot.*

#### XVI.

Computatio graduum Juris Canonici licet in foro recepta & usu quotidiano comprobata sit, eam tamen rationi usq; adeo non convenire vel exinde saltem probari potest, quòd juxta hanc computationem ducere quis possit eam, quæ ipsi filiæ loco est, ut fratris sui abneptem, *c. ult. extr. de consanguinit.* quod & divino & Civili juri contrarium est. Imo & hoc circa hanc computationem omnium absurdorum est absurdissimum, in linea transversali inæquali eum, qui E. G. à stipite sexto gradu distat, ab illis, qui in opposito latere vel primo, vel tertio, vel quinto gradu, & sic inæquabiliter à stipite distant, ab omnibus tamen æqualiter distare. Vid. *Ritterhus. de differ. Jur. Civil. & Can. lib. 1. cap. 5.*

#### XVII.

Mulier intra tempus luctus alij nubens jure Civili fit infamis *l. 1. & 2. C. de secund. nupt.* Quod quidem sequuntur Canones antiqui *c. Infames 2. in fin. 3. quæst. 7.* At abrogant receptiores *c. pen. & ult. extr. de Secund. nupt.* Sed factis ineptè, imò etiam contra honestatis rationem. Illud enim, cuius intuitu facile apparet Apostolorum Paulum

lum 1. ad Corinth. 7. vers. pen. quo dicto Pontifices in  
dd. cc. nituntur, juri Civili non derogare, sed saltem  
eorum errori occurrere voluisse, qui secundas nuptias  
illicitas esse putabant. Sic & ratio juris Civilis ex peri-  
culo turbationis sanguinis optima, in l. 11. ff. de his qui  
nor. infam. Imò quæ pietas, quæ verecundia illius, quem  
individux vitæ locium habuit vix sepultura traditi me-  
moriæ deponere? Quæ vitari potest turpis illa suspicio,  
quæ tam contra secundum conjugem, quam ipsam mu-  
lierem ex nimia festinatione oritur, quasi antea inter se  
quid rei habuerint, vel mortem mariti procurarint.  
Nov. 39. c. 2. in prin: ibi: ut appareat etiam super stite eo non ca-  
ste vivere cogitasse Vid. Marquard. Freher. tract. de existim.  
lib. 3. de infam. cap. 17. n. 4. & seqq.

#### XVIII.

Feudo legato, æstimationem ejus deberi putat Man-  
rica de conject. ult. volunt. lib. 9. c. 11. & novissimè Valent. Rio-  
mer. Quæst. Jurid. dec. 7. q. 1. Quæ tamen sententia ex ra-  
tione generali interdictæ alienationis vel dispositionis  
feudalis 1. F. 8. in prin. communi Dd. calculo rectè im-  
probat Schrad. de Feud. p. 7. c. 2. n. 9. Si tamen certò  
constet de mente testatoris feudi æstimationem præsta-  
re volentis, utiq; ad ejus præstationem, non quidem  
feudi, sed bonorum allodialium successorem teneri di-  
cimus cum Dn. Cothman. Resp. 65. vol 2.

#### XIX

Non sine ratione constitutum putamus, quod in  
hac Megapoli observatur, ut filix usufructuariæ præter  
usumfructum etiam dotem ex feudo paterno petere  
possint. Assetur. Reyer, de Ann. 1621. art. 27.

Item

Item nec illud, quod d. *Revers. & arc.* comprobatum, ut scil. filiabus pluribus relictis concurrentibus, & earum unâ, vel pluribus post mortem parentis deficientibus, pars deficientis cæteris superstitis filiabus pro parte ususfructus non aliter accrescat, quàm si ususfructum feudorum paternorum tempore mortis non pro diviso, sed pro indiviso possederint.

## PARADOXA Ex Jure Civili.

## I.

Non est novum, ut qui dominium non habet, alij dominium præbeat.

## II.

Sic & possessionem, quam quis ipse non habet, alij tradere potest.

## III.

Uni testi creditur.

## IV.

Etiam domino consentiente furtum fieri potest.

## V.

Hereditibus interdum plus juris competit, quàm ipsi defuncto.

## VI.

Etiam qui in potestate patris est tutorem habere potest.

Τὸ ὅτι δόξα.







Atrocissimum meritò  
 quod insidiosè & proditor  
 nihil tale metuit, *de quo re*  
 delicti atrocitas inde auge  
 & propter pretium suscip  
 mum est, ob dolum mani  
 quidem fatua causa hoc  
 homicidium ad alterius  
 rit, tam mandans, qui ass  
 qui assassinus dicitur, pœ  
*l. Nihilinteres. 15. ff. ad L.*  
*169. in prin. l. Ad ea. 157. in p*  
*vi & vi arm.* Sed quid, si  
 Titium vulnerari saltem,  
 homicidio L. Cornel. pe  
 cum habeat, olim inter Se  
 dicit, *Clar. in §. ult. quæst. 3.*  
 Magistros nostros conve  
 sult. & mandat. q. 135. n. 10  
 etiam de homicidio subse  
 Vid. *Farinac. d. q. n. 163. &*

Wesemb. *in parat. n. 3.*  
 de errore circa virginita  
 vitiet, ut si quis vitiatam a  
 vicissim dimittere & repe  
 quæ Wesemb. & alij in u  
 cumulant, duos hosce c  
 tamus. Aut enim quarit  
 tim ab initio sit nullum;

men assassini, pœ  
 datur ab eo, à quo  
 omicid. in 6. Cujus  
 cunx̄ interventu  
 òd longè turpissi  
 , quem nulla, ne  
 e potest, ita ut si  
 subsecutum fue  
 iam mandatarius,  
 l. subjaceat, arg.  
 . fac. l. Is damnum  
 i. §. Dejecisse. 12. de  
 mander assassino,  
 cidi, an subsecuto  
 assassinatore lo  
 ntroversum fuisse  
 à nec hodiè inter  
 r, *Farinac. de Con.*  
 los assassinatorem  
 omninò putamus.

r. multis disputat  
 is matrimonium  
 anter duxerit, eam  
 ? Nos missis illis,  
 m hïc acervatim  
 distinguendos pu  
 rimonium hoc sta  
 sistat quidem, sed  
 tamen

